

**DE PII MAGISTRATUS OFFICIO, IURE, AC POTESTATE
IN RELIGIONE ET ECCLESIIS AD VERBI DEI NORMAM REFORMANDIS**

CARMEN ELEGIACUM,

ILLUSTRI AC GENEROSO COMITI

WOLFGANGO ERNESTO,

DOMINO AB ISENBURG

COMITI A BUDINGEN ET BURSTEIN, IN PERPETUAM PIETATIS IPSIUS LAUDEM AC
MEMORIAM SUBIECTIONIS ET HONORIS ERGO SCRIPTUM

AB

*Antonio Praetorio Lippiano Westphalo, hactenus Tutelshaemij Palatinae
deinceps vero Burstaenij Isenburgicae Ecclesiae Ministro.*

Moses. Exod. 22. 28.

Sapiens. Prov. 24. 21.

Petrus. 1. Epist. 2. 17.

Ne Principi dicas male:

Deum time; Regem cole.

HEIDELBERGAE

Typis Christophori Leonis,

Anno M.D.XCVI. Mense Augusto

GRandia grandiloquis dicam sermonibus acta:

Acta stupenda Dei, grandia facta viri.

Verba Dei laetas promens referentia laudes,

Regibus et ducibus nomina digna canam.

Arma canant alij, pugnas, caedesque cruentas:

Me pia relligio, me juvat arcta fides.

Quid deceat, quid dedebeat; quid prosit et obsit,

Discernam: Flatu me rege, Christe, tuo.

Quaeritur: Anne Duces, rutilantia scepra gerentes,

Jure sacrum statuunt relligionis opus?

Quaeritur: An ritus, quos consuetudo recepit,
 Corrigier fas sit? fas sit habere novos?
 Quaeritur: ut forsitan possint meliora doceri,
 Quilibet an Regi debeat obsequium?
 Quaeritur: An liceat cervices cogere duras?
 Anque rebellantes ultio justa premat?
 Scinditur ignarum vota in contraria vulgus;
 Et doctis lis est: hic negat, ille probat.
 Lis fuit illa diu, nova nunc certamina crescunt:
 Ah! pia libertas vincula dura gerit.
 Ius cecidit, mos praevaluit, languitque potestas:
 Hoc placet; hoc vult, hoc turba profana probat.
 Verus at interea cultus perit Altitonantis:
 Dogmata quin passim vera sepulta jacent.
 Sordida damnosi bullant fermenta papatus:
 Error et errorem gignit ubique novum.
 Hinc excandescit Divum Pater, atque hominum Rex:
 Hinc Mars, hinc mors est, hinc miseranda lues.
 Hinc est dira fames, nostrique iniuria caeli:
 Hinc spes, hinc pietas, hinc ruit orta salus.
 Ergone res digna est, sacris inquirere libris,
 In melius quinam cuncta redire queant?
 Dignum est. Scripturas, Christus, scrutamini, inquit:
 Quaerite; in his latitat vita perennis, ait. *Ioh.5.39.*
 Hae lux sunt pedibus nostris, et semita vitae:
 Emendant: veram justitiamque docent. *Psal. 119.105.16.*
 Atque en, Sacra tibi solis face clarior astat
 Littera, quae ritus non bene quosque probat. *2. Tim.3.16.*
 Hinc ea: Non facias mihi, quae fecere parentes,
 Quae matri, patri quae placuere tuo. *Ezech.20.18.etc.*
 Nec facias, quae visa tuo sunt pulcra cerebro:
 Humana vane traditione color. *Deut. 12.8.*
 Ecce iterum: Statuas prorsus delete profanas;
 Altare hostili frangite turpe manu. *Matt. 15.10.*
 Quas ego proposui, cunctis proponite leges;
 Atque mihi caetum sanctificate sacrum. *Exod. 23.24*
 Forte Propheta venit falsus, mendacia suadens *et 34.13.*
 Hunc fuge, vivere eum nec patiare virum *Deut. 7.5 et 12.2.3.*
 Haec, rogo, quis faciet? habitansne per oppida muros? *Deut. 6.6.11.18.*
 Nescia non unquam turbula recta facit. *Matt. 28.20.*
 Nonne Magistratus justo mucrone coruscat? *Joel. 2.16.*
 Nonne Dei multo rectius urget opus? *Deut. 13.5 etc.*
 Quis sine vi, sine jure suo, sine robore ferri
 Falsiloquos vates rite domare potest?
 Caesaris, aut Regis, Comitum ve, aut Principis ergo
 Officij est, jussum ratificare Dei.
 Scilicet, ut tollant statuas, altaria, leges,
 Quas olim fidei gens minus apta tulit.
 Ut simul ac ritus purgent, pellantque profanos;
 Atque suo reddant dogmata sana gregi
 Iusta sed hic serves hominum discrimina Regum;
 Principe de quovis non ea dicta velim.

Ursa, lupus, canis, et corvus, leo, simia, vulpes,
Nulla sibi templi sumere jura queunt.

Qui bonus est pastor, totum pervadit ovile:
Janua raptori non stat aperta lupo.

Ergo regens persona prius sit credula, gnara,
Sit pia, sit veri cognitione potens.

Talis si fuerit; minuat, componat, et addat,
Pro ratione rei, pro ratione loci.

Codex ille sacer, dubij qui nescius extat,
Recta reformandi norma et amussis erit.

Sed petis, ut ratione probem, quod ferre Potentes
De sancta leges relligione queant.

Argumenta ingentia sunt vel millia centum;
Sed, quae sufficiant, non nisi pauca feram.

Sanctus, et ecce, mihi primum fert Spiritus ipse,
Ex titulis Regum, nominibusque Ducum.

Sunt Dij; sunt terrae Domini; rerumque potentes:
Sunt velut excelsi pignora cara Dei.

Sunt Christi Domini; sunt Ordo Deique ministri:
Sunt Satrapae regni praesidiumve Dei.

Ecce Magistratus titulos in codice scriptos:
Ipsiusne Dei nomina sancta gerunt?

Cur sic? num frustra? Minime: sed nomine doctus
Quisque sui quid sit noverit officij.

Scilicet: aeternos Domini Rex quaeret honores;
Hinc sibi; subjectis proderit inde suis.

Qui sic? curabit felix Ecclesia crescat:
Crescat vera fides: crescat et obsequium.

Muneris ergo boni Regis non ultima pars est,
Si curam sanctae relligionis habet.

Constat id exemplis. Aaron, fraterque Moyses
Gentis Hebraeorum nonne fuere Duces?

Hic res civiles tractat; sacer ille Sacerdos:
Attamen hic peragit nil, nisi ut iste jubet.

Ille sacerdotes, Levitas ille vocabat:
Is facienda jubet, non facienda vetat.

Ille utrosque docet sacras acedere ad aras:
Ille preces gratas; ille holocausta docet.

Constituit populo festivae tempora lucis:
Totum disposuit relligionis opus.

Nec tamen has rapuit Moses sibi, credite, partes:
A Domino pulsus suscipit illud onus.

Tu Moses, ait ipse Deus, mandabis Aroni:
Ille, tuum velut os, publica verba dabit.

Tu caput es, lingua ille tua est: tu praecipe leges;
Tu Deus illi sis, ille Propheta tuus.

Si iam Dux populi Moses praescribit Aroni;
Atque Dei jussa caetera quaeque facit.

Ergo Magistratus noster, si quippe fidelis,
Iure sacros ritus, dogmata jure probat.

Et nova se prodit ratio; non tempseris illam:
Dixeris haud ipsum desipuisse Deum.

I.

Exod. 22.9.

Luc. 22.29.

Psal. 82.6.

1. Sam. 24.11.

Rom. 13.2.4.6.

Sap. 6.4.5.

Esa. 29.23.

II.

Exod. 3.11. et

4.1.10.13.

Exod. 4.15.

16. et 7.1.2.

III.

Lex ubi scripta recens trepidante cacumine montis Personuit, cuinam? cui data, quaeso, fuit?	<i>Exod. 19.18.</i>
Omnia continuit tabulis distincta duabus: Haec civilia fert, altera sacra docet.	<i>Deu. 4.13. et 5.22.</i>
Sed dic: Pontifici commissa est altera Aroni? Tradita num Mosi est una tabella Duci?	<i>Mat. 22.40. Exod. 31.18.</i>
Non puto: Sed Mosi, Mosi uni tradidit ambas, Ut tabulae custos ille utriusque foret.	<i>Deut. 9.10.</i>
Ergo hodie Reges sacros disponere cultus Non minus, ac plebi dicere jura, decet.	III.
Addo; quod et quenquam sacrum conscendere montem Noluit, ut Mosen Numen adesse jubet.	<i>Exod. 34.3.</i>
Hinc scio, velle Deum: Nemo sibi sumere templi Ius ausit: Summi munus id esse Ducis.	
Scilicet: in vero cultu si manserit idem: Et stiterit pura cognitione pedem.	V.
Denique, si qua queunt simili ratione minores, Tune ea majores posse negare voles?	
At pater et mater, non laeso Numine, prolem Instituunt sancta religione suam.	<i>Deut. 6.6.7. et 11.18.</i>
Gnaviter exacuunt magni praecepta Jehovae: De gestus forma regula nulla datur.	<i>Eph. 6.4.</i>
Nunc si incipiunt, aliter mox caetera formant: Si bene, quo fiat, nolo rogare, modo.	
Esto ea Principibus libertas, atque potestas; Totius patriae quos decet esse patres.	
Quae pia sunt, quae vera patent caelestia quae sunt, Sit satis, ut recte proposuisse velint.	
Nemo hominum ritus vane cunctetur inanes: Non id, quod foris est; pectora sancta iuvant.	<i>Mat. 15.3. 1. Tim. 4.8.</i>
At vos, summa quibus caelo permissa potestas; Et jus purgandi templa scholasque datur,	
Discite, possitis rectum discernere curvo; Ne quis pro falsis dogmata vera premat,	
Ne quis deceptus tenebras pro luce refundat: Ne quis pro caelo tartara maesta paret.	
Si vis doctrinae formam reparare priorem, Illius antiquum noveris ipse caput.	
Omnia perquiras, bene volvas, atque revolvas: Biblia cum magna sedulitate legas.	
Sic Deus ipse: sua novus ut Rex sederit arce, Hanc legem secum semper ubique gerat.	<i>Deut. 17.18 etc.</i>
Donec in his terris vitali vescitur aura, Hanc legat, hanc cupide discat, et ipse notet.	
Heroi, Israel partos qui dividit agros, Vox ea sensibili seria in aure sonat:	<i>Ios. 1.8.</i>
Iste liber Legis nunquam tuo ab ore recedat: Sed mediteris eum nocte dieque simul.	
Sic mediteris, ut observes, quae jussa capessis: Sic tibi felices fas erit ire vias.	
Rex puer ille loas vix septem vixerat annos: At gravis est sacro Codice dextra manus.	<i>2. Par. 23.11.</i>

Cur hoc? nempe Ducem sacer hic liber admonet omnem,
 Ut faciat summi nil nisi iussa Dei.
 Sedulus ut quaerat, quae sint pia dogmata Vatum:
 Et quae sint verbo congrua verba sacro.
 Pellat ut errorum tenebras, et nobile verum
 Norit, et hospicium curet habere suum.
 En, concessa Duci non infinita potestas:
 Terminus est vitae, terminus imperij.
 Dirigat ergo Dei verbum, subjectus eidem:
 Non Deus ipsi, sed pareat ipse Deo.
 Ipse ubi iam factus sapiens, verique peritus;
 Quae didicit, videat, qua ratione serat.
 Non etenim modium subter lux conditur ardens;
 E candelabro splendet in antra domus. *Matt. 5.15.*
 Inquirat, vocet, excipiat, petat undique multos,
 Qui valeant verbum rite secare Dei. *2. Tim. 2.15.*
 Qui possint sano fidei sermone rebelles *2. Tim. 1.13.*
 Arguere, et plebem recta docere rudem. *2. Tim. 2.2.*
 Qui non pugnaces, placidi: pravos tolerantés,
 Non pravi: lenes, bile furente leves. *24.25*
 Pascere qui norint agnos, depascere nolint:
 Qui gravidas cogant non petulanter oves. *Ezech. 34.2.*
 Debile qui portent; quaerant, quod vallibus errat: *etc.*
 Qui reparent aegro pharmaca sana gregi. *Ezec. 13.4.5.*
 Qui pecus infenso vigiles tueantur ab hoste: *Ioh. 10.11. etc.*
 Oponant rapido, pectora fida lupo.
 Tales inquirat Princeps sua templa reformans:
 His instaurandae est anxia cura domus.
 Tales constituat plebem revocare misellam;
 Quae ducibus caecis non bene ducta fuit.
 Talibus incipiat sanctam purgare cathedram;
 Quae fuit impuro dogmate spurca diu,
 Hi Sacramentis primas si reddere formas
 Obtineant, citius labitur inde Papa.
 Hac ratione pius Mosis successor Hebraei
 Collapsum fertur restituisse sacrum. *Ios. 8.33. etc.*
 Omnia, quae fuerant conscripta volumine legis,
 Omnia praeconis praelegit ore sui,
 Astant Praefecti; Seniores protinus astant:
 Astant conjuncti femina, virgo, puer.
 Astant tota cohors; major, minor, advena, civis:
 Auribus auscultant; verba relecta notant.
 Regia sceptrum ferens, fingens pia carmina, David,
 Quem probat, et cujus comprobata acta Deus:
 Fidos constituit tota regione Ministros,
 Qui doceant Sancti nomen ubique lovae. *1. Sam. 13.14.*
 Iosaphat ille pius sacras cito visitat aedes, *1. Reg. 14.8.*
 Levitis missis Principibusque suis. *et 15.3.4.5.*
 Abrogat apta minus; quae sunt pravata, repurgat; *1. Par. 16.4.7*
 Legis et ad normam, quae meliora, docet. *8.*
 Sic Salomon, sic Ezechias, Assa, Iosias: *2. Par. 17.6.*
 Et quos enarrant secula prima Duces *etc.*
1. Reg. 8.1. etc.
2. Reg. 18.3. etc.

Hac ratione olim regali sede sedentes Constituere pium relligionis opus, Sed (quod quisque notet rerum moderamina gestans) Ne pereat tantus, sedula cura, labor: Nuntia vox Legis vacuas ne rumperet auras: Concio mox plebis tota coacta fuit, Publica vox populum longis compellit ab oris, Ut docili verbum condat in aure sacrum. Sic Israelem crebris hortatibus urget, Qui Dux antiqui sanguine Nunis erat.	<i>2. Par. 29.3. etc.</i> <i>2. Par. 14.2. et 15.8</i> <i>2. Reg. 23.2. etc.</i>
Huc, ait, o fratres, huc huc accedite: adeste: Exaudite mei verba diserta Dei.	<i>Ios. 3.9.</i>
Euge timete Deum; Magno servite Jehovahae: Sincero solum corde colatis eum.	<i>Ios. 25.14</i>
Sic David pleno compellat gutture gentem: Audite, o pueri, quae pia verba loquar.	<i>Psal. 34.12.</i>
Huc agite, huc pueri, huc ad me, mea cura, venite: Vestra docebo pie corda timere Deum.	
Eia, venite, alacres, grato celebremus honore, Quem regem, et nostrum novimus esse Patrem.	<i>Psal. 95.1 etc.</i>
Hactenus exemplis convici pluribus illud, Quod temere passim turba maligna negat.	
Nempe, Magistratus nativo jure creatos Emundare pie templa decere sua.	
Singula componens rursus nunc colligo membra; Ordine quo pateat Principis officium.	
Sedululus inquirens verum sacra Biblia lustret; Ut videat recta cognitione Deum.	I
Inde quod errorum tenebris non cernit opacum, Altisona plebem voce docere velit.	II
Quisque dabit tandem patulas ut praebeat aures: Exemploque suo subdita corda trahet.	III
Altera nunc restat solvenda hoc Quaestio versu; Quae partes etiam continet ipsa duas. Scilicet: An liceat cervices cogere duras? Anque rebellantes ultio iusta premat?	
Hic lis, hic turpis surgit dissensio; mordet Hic os; hic contra vertitur ipse stylus. Ast ego sim tantum divino percitus oestro; Simplex sim, facilis, pacificusque bonis.	
Puras perspicua mentes brevitate docebo, Hac re quid fas sit, quid sit eaque nefas.	
Dico Magistratum, divino jure, petulcos Cogere, qui temnunt relligiosa sacra.	
Dico, rebellantes, fracta cervice subactos Iure suas paenas, pro ratione, pati.	
Anne Magistratus custos utriusque tabellae Legis? et utramvis vindicat ense dato?	<i>Exod. 31.18.</i>
Qui posset Legis tabulam servare priorem, Ni transgressores poena maneret atrox?	<i>Rom. 13.4.</i>
Leges ferre Duces de Relligione, probavi: Qui tulit, an leges exequiturne suas?	

Augurium Deus atque Magos jubet ipse necari; Blasphemos; fictos qui coluere Deos:	<i>Exod. 22.18.</i>
Quique profanarunt alienis Sabbathis rebus: Et qui Pontificem privat honore suo.	<i>Lev. 20.27.</i> <i>Le. 20.2. etc.</i>
Ast hi transsiliunt tabulae mandata prioris? Atque pia tantum religione vacant.	<i>Lev. 24.25.</i> <i>Num. 15.32.</i>
Ergo illis similis multa, vel carcere digni: Fas est, hos etiam vel graviora pati.	<i>etc.</i> <i>Deut. 17.12.</i>
Sed, rogo, quis statuet poenas! quisve exiget illas? Anne Magistratus sceptrum, forumque tenens?	
Sic fecere pij, quondam moderamina rerum Gestantes summa cum probitate, viri.	
Moses, prae reliquis clarus, mucrone peremit, Quos verum vidit deseruisse Deum.	<i>Ex. 12.27.29.</i>
Levitisque, suis socijs, ait: o bene, fratres O bene sic factum! sic sacra vestra manus.	
Sacra manus Domino, gladium quae strinxit acutum In prolem, in fratres, in sociosque suos	
Mosen Rex imitans, incensa profana parantes Mactat in altari, non sine laude suo.	<i>2. Reg. 23.20.</i>
Fervidus Assa jubet finire in sanguine vitam, Qui solum Abrami non coluere Deum.	<i>2. Par. 15.13.</i>
Persa novum templum mandans reparare Darius, Et pia coelesti reddere vota Deo:	<i>1. Esd. 6.8. etc.</i>
Quisquis hoc, inquit, opus sacrum remoratur, ab alta Hunc trabe suspensum turpe perire volo.	
Sic Artaxerxes: Legis transgressor iniquus Exilio, multa, carcere, morte reus.	<i>1. Esd. 7.26.</i> <i>3. Esd. 8.27.</i>
Rex Babylone potens, miraclo territus, inquit: Hic verus Deus est; hic Deus ille potens;	<i>Dan. 3.96.</i>
Quisquis in hunc petulans fuerit blasphema locutus, Is male dispereat; vasta sit ipsa domus.	
Ipse Dei populus propria de gente profanos Promerita Regem perdere morte petit.	<i>3. Mach. 7.10.</i> <i>etc.</i>
Haec, nisi (quod procul est) fallant exempla priorum; Et nisi nunc vane Lex prior illa sonet:	
Colligo, quod liceat cervices cogere duras: Quodque rebellantes ultio justa premat.	
Nec mihi quis regerat: Nova nunc Ecclesia non sic Aedificanda, fuit ceu prior illa vetus.	
Nam Christi exemplum, sinuosa sophismata tundens Omnia consignat, pondus habere facit.	
Illene Zelotes, ubi Rex ingressus in Urbem, Fune flagellatos eijcit aede sacra.	<i>Matt. 21.12.</i> <i>Ioh. 2.15.</i>
Nonne viros, avide nummis sua lucra petentes, Effuso graviter multat in aere satis?	
Et quorsum dixit: Compelle intrare? (volentes Non compelluntur) sit mea plena domus.	<i>Luc. 14.23.</i>
Ergo, age, quisquis habes vires, qui regna gubernas; Simplicis et plebis frena regenda tenes:	
Magnorum prudens imitare exempla virorum, Nec Christi pudeat per pia facta sequi	

Suaviter introduc pavidos, comitare volentes,
 Nec dubita stantes trudere; Coge truces,
 Hoc pacto cultum Domini qui promovet, ille
 Facta Magistratus nomine digna facit.
 O utinam nostris hodie temporibus essent
 Moses, Iosias, Esdra, Darius, Asa!
 O utinam populus iam nunc ferveret, ut olim
 Ferbuit, et ventres nollet habere putres!
 Ast, heu! disperijt zelus vehementior, eheu!
 Sincerus perijt relligionis amor.
 Sancta procul pietas Regum nunc exulat aulis:
 Urbe repulsa fides, exul oberrat agris.
 Blanda nimis passim nunc indulgentia regnat:
 Vellitur impune relligionis honor.
 Plectuntur fures miseri, plectuntur (et aequae)
 Perjuri, moechi, Sagaque, praedo, latro.
 Secure nimium, violant qui Sabbathata, vivunt:
 Vivunt, qui vane Numina sancta vocant.
 Hic aut nil prohibent Leges; aut, si data lex est,
 Connivet; et vix est, qui mala facta luat.
 Si civis civem, Satrapam si rusticus urat;
 Est hic grande nefas; vincula quaeque patent.
 At si Maiestas temere divina petatur;
 Omni tunc fas est parte levare reum.
 Hic si quis tangat Montes, mox fumus ubique est:
 Est ferus haec carpens; non homo: pelle pecus.
 Haec plebis vox est, haec lex est Praesidis: ah, vult
 Pulvis iners magno dignior esse Deo.
 Hinc ita decrescit sanctorum Ecclesia semper;
 Hinc tanta impietas, barbariesque gregis.
 Hinc tantae aerumnae superillabuntur in horas:
 Hinc saevae pestes, hinc fera bella, fames.
 Hinc stygias Princeps citius descendit ad undas:
 Hinc pagi, hinc urbs, hinc Regna opulencia ruunt.
 Evigila, evigila, gladio qui cinctus ab alto;
 Temnentem Divos argue, plecte, mone.
 Hoc nisi praestiteris, gladio male abuteris; atque,
 Impius ut pereat, maxima culpa tua est.
 Nullus Evangelio locus est, ni summa potestas
 Praeparet; Ergo, ubi non praeparat, illa feret.
 Nec tamen esse velis (nolis errare) Tyrannus,
 In miseram plebem quem furor hirtus agat.
 Qui praeceps subito gelidas demittat ad umbras;
 Ignaros, minus et quos videt et esse pios.
 Libera namque fides: pietas hanc vera sequetur:
 Non vi, caelesti flamine mota venit.
 Hoc tantum, quod jure potes; vaga schismata tolle:
 Tolle quod Idolis huc fuit usque sacrum.
 Postea salvificae fidei da nobilem verbum:
 Subditus externum praestet et obsequium.
 Scilicet, ut sacros pulsus, ni sponte, frequentet
 Caetus, et saltem paucula verba notet.

3. Macc. 7.10.
11.

Psa. 28,5.
Ier. 2.26.
et. 32.30. etc.

Sic bene compellis (satis est) intrare vocatos:
 Te decet hoc: Dominus caetera forte dabit.
 O pius hic Princeps! o terque quaterque beatus!
 Hac ratione pia qui sua scepra gerit.
 Cui commissa Deo sic est plebecula cordi:
 In Domini laudes quem iuvat esse Ducem.
 O populus felix! nimium locus ille beatus,
 Quem bene, quemque diu Dux regit ille pius.
 Hic lex, hic pietas, hic pax, hic prospera vita:
 Hic lac, et hic favus est, hic bona cuncta fluunt.
 Hic honor, hic decus est, hic hic Respublica floret:
 Hic Duce cum forti praesidet ipse Deus.
 Talia contingunt populis non omnibus: illis
 Talia contingunt, queis Deus ipse favet.
 Ergo Isenburgum felix, Buddingia felix,
 Felix Burstenium: nunc tibi cuncta favent.
 Exulta: affectu tacito laetare, forisque
 Laetitiae nobis da nova signa novae.
 Nam tibi nunc demum verae lux orta salutis
 Illucet, nebulis quae fuit acta nigris.
 Amplas nunc aperi portas, Rex gloriae ut intret:
 Pande fores, hospes Rex volet esse tuus.
 Est prope Rex, Christus, pugno tua ad ostia pulsat:
 Limina iam calcat, surge aperique fores.
 Gratulor adventum, Rex optime, salvus inito:
 Gratulor hospitio, Rex bone Christe, tuo.
 Illustris generose Comes, Comes o pie, multa
 Cognitione gravis, nec probitate levis
 O Wolfgange Erneste, simul tibi gratulor: Eja,
 Inclytus ille hospes stat prius arce tua.
 Affulsit primum tibi fax praeclara salutis;
 Te duce, nunc plebi lux venit illa tuae.
 Hoc pietatis opus, Germano hoc Principe dignum:
 Claro facta facis nomine digna tuo.
 Macte pia virtute Comes, sic perge; reforma,
 Oppugnare vides quae tibi cunque fidem.
 Respice vicinos Comitesque Ducesque, priores
 Qui sua purgarunt templa, scholasque suas.
 Nempe Palatinos multis numerabis ab annis
 Fridricus primum Tertius, ille pius.
 Post Casimirus item, nulli virtute secundus,
 Ter pius, atque pio qui genitore satus.
 Sic Fridericus item tranquillo hoc nomine Quartus,
 Cuius in aeternum sit benedicta domus.
 Sic quoque Saxoniae caepit Dux, o pia proles!
 Sic Benthemensis Newnariaeque Comes.
 Nassovij, Hannovius, Solmenses, et Witekenstein,
 Ascaniaeque Duces; dogmata pura serunt.
 Quorum nunc toto passim celebrantur in orbe
 Nomen, et aeternum disperijsse nequit.
 Sic Wolfgang patruus, (vivat fortissimus Heros)
 Relligionis amans, vir pietate gravis.

*Psal. 147.19.
etc.*

Psal. 24.7. etc.

Apoc. 3.20.

Iam sex ante annos, ritus direxit aduncos,
 Eijciens plane dogmata vana foras.
 Praebuit exemplum, quod nunc imitaris, et apte
 Exardes sacras condecorare domos.
 Hoc virtutis opus Germano Principe dignum:
 Haec pia facta manent stemmate digna tuo.
 Macte pia virtute Comes, sic pergere perge:
 Perge tuam vere nobilitare domum.
 Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt:
 Crescet honos, crescet nomen ubique tuum.
 Haec tua te celebrans soboles mirabitur acta:
 Inque tuas laudes verba nepotis erunt.
 Macte pia virtute Comes, sic perge; repurga,
 Quae latitant alba sub nive tecta mala.
 Eijce, mista jacent dulci fermenta farinae.
 Quae specie recti dogmata sparsa fuge.
 Quod bene coepisti, vehemens absolvere tenta:
 Principij sancti non mala finis erit.
 Ne metuas, nulli cedas, nec terreat hoc te,
 Aspera virtutis quod via: dulcis honos.
 Gloria post magnos veniet non pava labores:
 Splendida non pugnas ante corona datur.
 Nec te decipiat, quod sunt sermone potentes,
 Hactenus insulsum qui rapuere gregem.
 Verba quid efficiunt? mala res non fit bona verbis:
 Magno quod falsum est, indiget eloquio.
 Vincere non possunt, convicti cedere nolunt:
 Interea, qui non vincitur, ille viget.
 Saepe lacessitur, villas qui transit agrestes,
 Voce canum: sed non laeditur ore canum.
 Voce lacessitur, pravum qui vellit, inani:
 Mordet, non sorbet, garrula lingua bonos.
 Omnibus invictum est, quod tu nunc dogma propagas;
 Hoc retinens, unquam nemine victus eris.
 Ergo, age, propugna verum; collapsa reforma:
 Expugna falsum: Sit labor iste tuus.
 Te sane indomiti cupient laniare Leones:
 Te contra flammam evomet ille Draco. Psa. 34.8. etc.
 Sed frustra: servire Deo si pergis, ut optas, 91.11. etc.
 Te salvum ducent agmina multa Dei.
 His bene, vive Comes, bene dic, bene fac, bene regna:
 Vive, valeque diu, sed bene vive Deo.

Abschrift, Faksimile und Übersetzung (Burghard Schmanck)
 mit einer Einführung von Hartmut Hegeler
 Geschichtswerkstatt Büdingen 2006
 ISBN 3-939454-11-7
 ISBN 978-3-939454-11-3